



## Promotionsformel Katholisch-Theologische Fakultät

### Gelöbnisteil

Doctorandi clarissimi nec non  
doctorandae clarissimae!

Dissertatione composita et examinibus, quae ad eorum, qui in SS. theologia doctoris nomen atque honores consequi student, doctrinam explorandam lege constituta sunt, cum laude superatis, nos adiistis, ut vos eo honore, quem appetiistis, in hoc solemnii consessu ornaremus.

Sed prius fides est danda, vos tales semper futuros quales vos esse iubebit dignitas, quam obtinebitis, et nos speramus vos fore.

Spondebitis igitur:

Primum, vos huius universitatis, in qua summum in SS. theologia gradum ascenderitis, piam perpetuo memoriam habituros eiusque res ac rationes, quantum poteritis, adiuturos;

Dein, honorem eum, quem in vos conlaturus sum, integrum incolumemque servaturos, eaque semper, quae theologum decet, vita ornatos;

Postremo, SS. theologiae studia adsiduo et impigro labore culturos ac provecturos, quo veritas a Jesu Christo in aeternam humani generis salutem coelitus allata et in sinu ecclesiae reposita ab hominibus in dies clarius cognoscatur et propensius moribus servetur.

Haec vos ex animi vestri sententia spondebitis ac pollicebimini!

### Ernennungsteil

Itaque iam nihil impedit, quominus summos, quos obtinere cupitis, honores vobis impertiamus.

Ergo ego,

**promotor rite constitutus, vos**

**ex decreto ordinis mei SS. theologiae doctores creo, creatas creatosque renuntio omniaque SS. theologiae doctoris iura et privilegia, quae auctoritate tam civili quam pontificia huic academicae dignitati concessa sunt vel concedentur, in vos confero in eiusque rei fidem haec diplomata universitatis sigillo insignita vobis in manus trado.**

**Vestrum nunc erit, locum, ad quem bonarum artium studio eveci estis, iisdem artibus tueri, rei tum christianae tum publicae, litterarum, ordinis denique in quem adlecti estis, utilitatem, incrementum, decus promovere.**